S. VVIGHARDVS DVX SVEVIAE.

VVighardus Caroli Magni ex filia nepos fuit. Erat is magna pietate & ingenij acumine prę ditus. Itaq; cũ fratre Ruberto dux Sueuiæ electus fuit, Anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo. Cum is ſuam ditionem feliciter adminiſtraret, pio inſtituto Lucernæ ad lacum Heluetiorum mona-ſterium S. Benedicti fundauit, ubi nunc Præpoſitu ra exiſtit. Poſtea eius monaſterij curam ſuſcipiens, primus in eo abbas conſtitutus eſt. In eo uitæ gene re adeò excelluit, ut poſt mortem inter ſanctos re-latus fuerit. Pari ratione etiam S. Dietlandus dux Sueuiæ eius cognatus, poſtea abbas Eremitarum ad Heluetios factus eſt. Naucler. Generat. 29. à na to Chriſto.